

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Renati Des-Cartes Principia Philosophiae

Descartes, René

Amstelodami, 1664

Responsio ad præcedentem epistolam

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1384)

# R E S P O N S I O

*Ad Præcedentem Epistolam.*

**D**OMINE;

Inter injurias & exprobrationes quas reperio in prolixa epistola quam dignatus es ad me scribere, tam multa observo in ea pro me facientia, ut si eam typis mandares, ut scribis te velle facere, vereretur ne quidam sibi imaginarentur, inter nos majorem esse consensum quam revera est, & me rogasse ut illi insereres multa quæ decorum non sinebat à me ipso in publicum edi. Quare hinc ad omnia sigillatim non respondebo. Tibi solummodo duas suggeram rationes, quæ ut judico te impedient quominus eam publices. Prima est, me non putare, consilium illud quod videris habuisse eam scribendo, posse succedere. Secunda, me nullatenus ejus esse indolis quam tibi fingis, nullaque me tactum iri indignatione & fastidio quod mihi auferat desiderium faciendi quicquid in me erit ut intersciam publico: cui me multum debere profiteor, eo quod scripta quæ jam in lucem emisi fuerint à multis favorabiliter excepta. Nec antehac tibi aliam ob causam denegavi quod de Passionibus scripseram, nisi ut non tenerer ea ostendere quibusdam aliis qui nullum ex illis emolumentum percepturi fuissent. Quoniam enim ea non alio fine composueram, quam ut legerentur à magno Principe, cujus ingenium adeò supra vulgus est, ut absque ullo labore concipiat quod videtur difficillimum nostris Doctoribus, id solum in illis susceperam explicandum quod novum esse arbitrabar. Et quo dictis fidem adhibeas, tibi polliceor, me revisurum denuo hoc idem scriptum Pathologicum, eique additurum quod judicavero necessarium ut intelligibilius reddatur, idque postea ad te missurum, ut cum eo facias quod libuerit: sum enim &c.

*Datum Egmondæ,  
4. Decembris, 1648.*